


V
B
I
C



VIRO REVERENDO JOANNI KOCIO,

PROFESSORI PHILOSOPHIÆ

S. P. D.

EUGENIUS INNOCENTIUS CORSONICH.

Epiſtola tua 19 Julii typis contra me vulgata varia puncta complectitur, quorum nullum tamen veritati eſt conſentaneum. Idcirco mearum partium eſſe exiſtimo, ad ſingula, quàm breviſſime fieri poterit, reſpondere.

Primò. Per Virum probatæ fidei curavi Tibi 2 Februarii anni ſuperioris reddendam refutationem ſcriptam epiſtolæ tuæ, ultima Aprilis Anni 1777 ad me datæ, cui, ad liberandum me ſemel pro ſemper à poſtulationibus tuis injuſtis & riſu dignis, inſerueram hæc verba: *Niſi demonſtraveris, Te 50 Aureos, quos jam dudum ſpe devorâſti, meruiſſe; ornabo Te in ſcriptis publicis eodem titulo, quo Tu me toties decorâſti, & qui Tibi ſoli convenit. Ad diſcutiendam cauſam tuam eligere poteris pro Arbitris R. D. Canonicum* Byſtrzycki *& R. D.* Patou *; vel R. R. P. P.* Oſińſki *&* Marciano, *vel aliud par Mathematicorum, qui hìc inclaruerunt, & ego juſtæ deciſioni illorum acquieſcam. Poteſnè exigere majus documentum honeſtatis meæ?* Interim cum per 5 menſes reſponſum tuum fruſtra exſpectâſſem, propoſui præmium, cui per triennium ſpe inconceſſa inhiaveras, tantùm pro Viris iis, ex quorum ſcriptis me majorem fructum percepturum ſperabam, quàm ex tuis logomachiis turpiſſimis: id quod Tibi patefeci 2 ſcriptis impreſſis, quorum alterum præter alia continebat intimationem hujus mutationis; alterum autem ita finiebatur: *Hiſce ritè perpenſis da operam, Vir R., ut præmii olim à me conſtituti obliviſcaris, ne valetudo tua proſpera mutetur in adverſam*; ad quod Tu mihi pro ea, qua es humanitate, reſpondiſti: *Præmia tua ſint Tibi. Ab egeno & paupere undique mendaci homuncione quid boni ſperari poteſt?* Ex hac renunciatione inſperata manifeſtum eſt, Te non intellexiſſe, quid ſit *homuncio*, homulus ſeu homullus, quia aliàs Tu ipſemet fatereris, quòd, ſi ego, utpote Te grandior & ponderoſior, ſum mendax homuncio, Tu ſis mendaciſſimus Pygmæus.

Secundò. Ad demonſtrandum publicè, me nunquam à Te fuiſſe refutatum, ſicut temerè Te jactitabas, invitavi Te pro diſputatione 15 Aprilis mecum ineunda, ad quam evitandam, ſimulabas Te tantùm velle habere Arbitros, (dico *ſimulabas*, quia antehac, ut ex numero 1mo palam eſt, nullos eligere voluiſti). Quare ad conſequendum finem, quem mihi propoſueram, per ſyngraphum 31 Martii ſignificavi Tibi conditiones, ſub quibus petitioni tuæ volebam ſatisfacere, quarum 2 erant præcipuæ, nempe: *ut obſtringeres Te ad diſputationem præfatam*, & ut etiam *objectiones tuæ cum meis reſponſis ſolidis Anno 1776 typis vulgatæ* ab Arbitris examinarentur; ſed Tu per epiſtolam 1mæ Aprilis utramque recuſans, obligâſti me ad valedicendum Tibi, & ad relinquendum pactum, Tibi propoſitum, infectum,

fectum,

fectum, siquidem nullum sine mutuo consensu partium contrahentium concludi potest. Comparuisti quidem die prædicta in loco ad disputandum destinato, sed insperatè, & non ex pacto.

Tertiò. Mense Majo, sicut ex syngrapho perspicuum est, non debebat esse altera disputatio, sed examen scriptorum nostrorum ab Arbitris instituendum, si conventio incepta habuisset locum. Ast quoniam Tu ipsemet syngraphum, ut patet ex numero præcedenti, reddidisti invalidum; falsè à Te incusor, *ejus obligationem neglexisse.*

Quartò. Propositionem 3tiam esse falsam, eò minùs demonstrasti, quò certius est, Te eam non intellexisse: id quod me adduxit ad mittendam Tibi illam magis captui tuo accommodatam hisce verbis: *Locò disputationis ridiculæ, 24 Julii tecum ineundæ, mitto Tibi 2 Problemata brevissima, quæ, ut alii Te docebunt, demonstrationem non tuam, sed Archimedis sic dictam, quam jam sciebam, dum Tu eras adhuc puer, funditus evertunt.* Dicta problemata, à quibus, ut palam est, unicè pendet quadratura, non possunt amplius à Te vocari ambages, quia constant tantùm 15 lineis: hinc eò magis miror, quòd Te adeò stringant, ut illa refutare nequeas. Agnosce itaque Victorem tuum, & Thrasonem Mathematicum posthac agere desine.

Quintò. Falsum est, *omnibus hujus loci Mathematicis fatentibus* Te clarissimè ac invictè ostendisse, rationem diam ad periph. $=$ $1 : 3\frac{1}{8}$ esse defectivam, siquidem tres illorum, quibuscum hac de re sermones contuli, id *diffitentur.* Si hujusmodi demonstratio invicta posset reverà haberi; dudum eâ usi fuissent clarissimi Mathematici, quorum objectiones mihi expetii. Ipsamet experimenta, quæ 3bus Problematibus absolvi, loquuntur palam, diametrum ad periph. esse omnino $= 1 : 3\frac{1}{8}$; quadratum diam. autem ad circulum $= 32 : 25$, & ad segmentum $= 64 : 9$, & quidem independenter à ratione 1ma. Immo hæc veritas propositione III, ex 2 brevissimis problematibus Algebraicis constante, tam evidenter tamque invictè demonstratur, ut nefas esset, de ea dubitare.

Sextò. In epistola tua, 2dâ Junii ad me scripta, ais, eam esse dispositionem sinuum in tabulis *Weidleri & Wolfii*, ut quisque utendo illis, si non sit bene versatus, facile possit errare: attamen non tam enormiter, sicut ego, qui sinum 10 minutorum 2909 accepi pro sinu unius minuti. Turpiter hallucinaris: nam sinus 10', ut patet ex tabulis prædictis, est 290. 89. Deinde inquis: *Anguli* 88°. 7' *sinus est* = 99945. 98. (quod est verum), *& completur pro* 30'' = 99946. 45. Hoc est falsum: nam, subtrahendo sinum priorem ex posteriore, relinquuntur pro sinu 30'' solùm 47, cum tamen, vi problematis 23 Trigonometriæ *Wolfii*, dictus sinus debeat esse = 1454. Ergo assertio tua, ut utar tua propria phrasi, redolet mendacium.

Septimò. Renovas mihi memoriam disputationis tecum habitæ, quæ non potuit mihi esse *proficua* ob Logomachiam inauditam, qua

cs

es usus ad terendum tempus inaniter, & ad faciendum fucum Auditoribus. En argumenta, quæ fatentibus Viris probis, demonstrant veritatem eorum, quæ Tu omni pudore postposito injustissimè impugnâsti: Sit diameter $= 1$, periph. excessiva $\frac{52}{16}$, defectiva $\frac{24}{8}$, excessus $\frac{2}{16}$, defectus $\frac{1}{8}$: quoniam hæ 4 quantitates crescunt in ratione diametrorum; erit, posita diametro $= 3$, periph. excessiva $\frac{156}{16}$, defectiva $\frac{72}{8}$, excessus $\frac{6}{16}$, defectus $\frac{3}{8}$: consequenter peripheria vera $\frac{156}{16} - \frac{6}{16} = \frac{150}{16} = \frac{75}{8}$; vel $\frac{72}{8} + \frac{3}{8} = \frac{75}{8}$ & ad diametrum 3, ut $\frac{75}{8} : 3 = 75 : 24 = 25 : 8$. Sit porro diameter $= 10$, erit periph. exces. $\frac{520}{16}$, defectiva $\frac{240}{8}$, excessus $\frac{20}{16}$, defectus $\frac{10}{8}$: consequenter periph. vera $\frac{520}{16} - \frac{20}{16} = \frac{500}{16} = \frac{250}{8}$; vel $\frac{240}{8} + \frac{10}{8} = \frac{250}{8}$ & ad diametrum 10 ut $\frac{250}{8} : 10 = 250 : 80 = 25 : 8$. Jam cum numeratores excessuum $\frac{2}{16}$, $\frac{6}{16}$, $\frac{20}{16}$ sint $=$ diametris 1, 3 & 10 duplicatis, & numeratores defectuum $\frac{1}{8}$, $\frac{3}{8}$ & $\frac{10}{8}$ $=$ diametris simplis; palam est, assumtis rationibus $16 : 52$ & $8 : 24$, peripherias veras inveniri, auferendo ex *numeratore* periph. excessivæ numeratorem excessus æqualem *duplo diametri*; vel addendo ad *numeratorem* defectivæ numeratorem defectus æqualem *simplo diametri*. Deinde sit diametri quadratum $= 1$, circulus exces: $\frac{25}{32}$, defectivus $\frac{49}{64}$, excessus $\frac{1}{32}$ & defectus $\frac{1}{64}$: quoniam hæ 4 quantitatis hìc crescunt ut quadrata diametrorum; erit, posito diam. quadrato $= 4$, circulus exces: $\frac{104}{32}$, defectivus $\frac{196}{64}$, excessus $\frac{4}{32}$ & defectus $\frac{4}{64}$: consequenter circulus verus $\frac{104}{32} - \frac{4}{32} = \frac{100}{32}$; vel $\frac{196}{64} + \frac{4}{64} = \frac{200}{64} = \frac{100}{32}$, & ad diam. quadratum 4, ut $\frac{100}{32} : 4 = 100 : 128 = 25 : 32$. Sit denique diam. quadratum $= 9$: erit circulus excessivus $\frac{234}{32}$, defectivus $\frac{441}{64}$, excessus $\frac{9}{32}$ & defectus $\frac{9}{64}$: consequenter circulus verus $\frac{234}{32} - \frac{9}{32} = \frac{225}{32}$; vel $\frac{441}{64} + \frac{9}{64} = \frac{450}{64} = \frac{225}{32}$, & ad diam. quadratum 9, ut $\frac{225}{32} : 9 = 225 : 288$, & dividendo porro per 9, ut $25 : 32$. Jam cum numeratores excessuum $\frac{1}{32}$, $\frac{4}{32}$ & $\frac{9}{32}$, item numeratores defectuum $\frac{1}{64}$, $\frac{4}{64}$ & $\frac{9}{64}$ sint $=$ quadratis diametrorum 1, 4 & 9; manifestum est, assumtis rationibus $32 : 26$ & $64 : 49$, circulos veros prodire, auferendo ex *numeratore* circuli excessivi numeratorem excessus æqualem *quadrato diam.* vel addendo ad *numeratorem* defectivi numeratorem defectus æqualem *quadrato diam.* Ex his luculentissimè patet, periph. quamcunque juxta meum calculum esse ad diam. semper ut $3\frac{1}{8} : 1$, non autem semel ut $1\frac{1}{4} : 1$ & deinde, ut $4 : 1$, sicut Tu malitiosissimè asserere non erubuisti. Sic veritas improbitate inimicorum suorum depressa emergit, & de eis triumphat. Amici tui proprii, lecto hoc puncto, de Logomachia, Reipublicæ literariæ peste, quam Tu tam impudenter excitâsti, obstupescent.

Octavò. Cl. D. *Wiedeburgius* Professor Matheseos in Academia Jenensi § 4tum *disquisitionum* ante triennium editarum ita concludit: *Quadraturam segmenti, si etiam, quod negaverim, Illu. D.* Corsonich *perfecerit, certè tamen non demonstravit.* Hæc verba, quæ nihil demonstrant, quæque nec de Te, nec de scriptis tuis ullam mentionem faciunt, habes Tu pro decisione Academica, vi cujus præmium 50 Aureorum Tibi debetur. Quilibet Antagonistarum meorum

rum lucri illiciti avidus potuisset tuo modo argumentari, nempe: *juxta effatum Cl. Mathematici, Auctor non demonstravit quadraturam suam certè: ergo mihi, qui scripsi ineptias, debetur præmium.* Deinde, etsi propositio sit malè, aut non certè demonstrata, non sequitur inde eam revera esse falsam, nisi argumentis invictis id demonstretur. Excell. D. *Hambergerus* Doctor & Professor Phil. nec non Mathematicus summus in Academia prædicta de § citato mihi ita scripsit: „Modum cogitandi D. Prof. *Wiedeburgii* adeo habeo mihi cognitum perspectumque, ut sim persvasus, eum *opinionem suam* non „habiturum esse pro *decisione Academica.* Præterea non ignoro, quod „tam ille, quam nonnulli alii Mathematici credant se posse demon„strare algebraicè, quadraturam circuli inventu esse impossibilem; „sed demonstrationem ipsam hucusque nec legi, nec audivi.„ Aliud testimonium Academicum deinde adducis hisce verbis: *Non absimile testimonium habetur etiam aliud Cl.* Georgii Henrici Bortzii *Professoris P. in Academia Lipsiensi, qui & laudavit meos calculos, & ipse defendendos eosdem suscepit.* Ex his verbis officiosis nullatenus cognosci potest, meam *Methodum demonstrativam* esse falsam, aut legitimè à Te refutatam: ergo conclusio tua denuo est nulla. Ego ipsemet calculos tuos (excepto sophistico, quo usus es 15 Aprilis) laudo; argumenta autem tua contra me adhibita à nemine laudari possunt. Corruit itaque utrumque testimonium, seu, ut alibi ais, *utraque decisio Academiarum exoticarum.* Advertere tamen debuisses, decisionem Academiæ non dependere ab uno Sodali, sed ab omnibus eam constituentibus. Hæc 8 puncta, contra Te exposita, sunt tam vera, ut quodlibet jurejurando queat confirmari. Interim, ut Tibi in memoriam revoces conditiones, sub quibus præmium pro refutatione dicti scripti fuit propositum, lege ejus epilogum, & invenies illas hoc modo expressas: „Tuarum partium est, Te exhibere „Geometram gravem, veritatis amantem, moderatum & refutantem „me seriò, solidè & directè, non confugiendo ad auctoritatem *Archi„medis*, *Culenii* aut *Metii*, quam hìc non agnosco, etsi Viros illos „maximi faciam: non juravi enim cum discipulis *Pythagoræ* in ver„ba magistri; sed potius cum *Seneca* fari soleo: *Nullius nomen fero, „nemini sum mancipatus, multum aliis tribuo, aliquid & mihi vin„dico.* In opusculo, anno superiore (1774) edito, sufficienter de„monstravi, peripheriam semper peccare in excessu; sive investige„tur per *bisectionem arcuum, & laterum polygonorum*, sive per *ca„nonem sinuum.* Neque recurrendum est ad impossibilitatem quadra„turæ Circuli, quippe quæ falsè à Te supponitur, nullibi autem „demonstratur. . . „ Vale VIR HONESTISSIME, & Tui amantem redama.

Dabam Varsaviæ die 2 Octobris
Anno MDCCLXXIX.



